



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Fronto Abbas. 14. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

14. April. VITÆ SANCTORUM. 243
donum è primi parentis horto lignum
tulit odore nobile: ut inde una jam vel
virginitas vel patientia sperare quid posse
videatur. In subsidium pauperum ipsa
pauperrima peculium tamen corrogabat,
& JESU crumenam dictitabat, cui pro-
fecto omnes, cum audient, avari invi-
debunt, quippe quæ exhauriri nunquam
potuit. Homini facinoroso suavit, plumis
in unum latus noctem incumberet. Ri-
sit ille, sed cum hoc in plumis non pos-
set, ne in flammis olim posse cogere-
retur, fleuit deinceps. At LYDWINA anno
Christi M. CCCC. XXX. ægritudinis
assiduæ ac multiplicis XXXVIII. cum id
dolorum incrementum impetrasset, ut
ignibus nihil superesset piandum, mor-
tua tandem est, vel, ut rectius loquar,
tandem desit mori. Ex Io. Bruggmano.

*Corporea omnia, & quidquid fluxum est
& caducum aspernans, totum te caelesti
Patri addicas, nec presenti tempori, sed
futuro ævo vivas, mortisque meditatio-
nem, ut Plato ait, hanc vitam existimes.*
S. Greg. Naz. ad Philagr.

S. FRONTO ABBAS. 14. Aprilis.

Ridiculi homines, morituri ne moria-
mur fame, extimescimus. Com-
meatum in annos comportamus, diem
victuri: horrea struimus, sepulchrum
subituri, formicæ dicam an homines?

Q 2

Ni-

244 VITÆ SANCTORUM. 14. *April.*
Nimirum qui vitam dedit, victum vitæ
extra urbis fora non poterit dare? Quasi
verò si ille velit, etiam inter medias epu-
las non Midæ, inter aquas non Tantali-
simus? contra, ubi ille velit, non aère
seges exurgat, in fonte vinea? Certè
rupem aquam dedisse memini, cumque
terra negaret panes cælo pluisse etiam in
deserto: Ite Reges, castra culinarem
fruite, aciem coquorum ducite, famem
oppugnaturi. Vincam ego vestram su-
perbiam, aut nemo, aut cælum mihi op-
sonabit. Hæc aut similia his cum animo
suo FRONTO; hæc ad pulcherrimi pro-
positi socios LXX. quos omnes secum
ex urbe in loca deserta ab hominibus sed
non DEO etiam eduxit. Nec fefellit in-
gens animus, & spes tam generosa. Pro-
vidit Numen, & alienam avaritiam pau-
perum iussit FRONTONIS servire.
Ergo Angelus ad dormientem nescio
quem divitem: tu equidem in rerum
omnium affluentiam jam copiam etiam fa-
stidis, at Christus interim in servis suis
cum inopiâ & adeò fame conficitatur.
Non audit hæc Euclio, sed iterum in u-
tramque aurem dormivit. Ergo aures
aliter vellicavit, plagasque, ut somno
crederet, addidit. Tum demum quid sibi
cælum vellet, penitus visus intelligere,
& cibariis LXX. mulos onustos, cum
nesciret ubi FRONTO ageret, sine ducto-
re in incertum dimisit. At illi recta inde
ad

15. April. VITÆ SANCTORUM. 245
ad FRONTONEM, inde exonerati ad
divitem iterum, qui miraculo motus an-
niversariam deinde eam liberalitatem ef-
se voluit. Ex vit. PP.

Avare fac tibi sacculos, & fac jubente Deo; sed fac erogando; quia quidquid pauper acceperit, Pater celestis suscipit: & ubi recondit? In cælo, & ne forte perdidisse te doleas vel usuram, centuplum percipies, quidquid in cælum paupere præmiseris perferente. S. Chrysol. f. 25.

S. EUTYCHIUS M. 15. Aprilis.

HOC die Ferentinales EUTHYCHIUM Martyrem colunt, etsi ubi, aut quando animam posuerit, nesciant Annales. Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur; nam istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EUTYCHIUS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirent alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorum curatores non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus, Ventum est. Ferentinum Hic fessus lectulum sibi adornari propter tumultum Martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumque censens à sepulchro lectum distare, quantum mors & mortis germanus frater somnus distant.

Q3

Tunc